



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCCXXXVIII. ad annum MCCCCXL.

**Parisiis, 1644**

XXI. De Iudaeis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15490**

ANNO  
CHRISTI  
1440.

Item volumus statutum Concilii generalis Constantiensis & constitutionem de simonia editam publicari, vt in fine: quoniam contra transgressores eiusdem districtius, Deo dante, procedemus. Cuius statuti tenor sequitur per omnia in hæc verba:

*Martinus, &c.*

**M**VLTÆ contra simoniacam prauitatem ab olim factæ sunt constitutiones, quibus morbus ille non potuit extirpari. Nos volentes de cetero, vt possumus, attentius prouidere, sacro approbante Concilio, decernimus quod ordinati simoniace ab executione suorum ordinum sint eo ipso suspensi: electiones autem, postulationes, confirmationes, & quæuis prouisiones simoniacæ ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum, personatum, officiorum & beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque deinceps factæ, nullæ sint ipso iure, nullumque per illos ius cuiquam acquiratur, nec promoti, confirmati aut prouisi faciant fructus suos, sed ad illorum restitutionem, tamquam iniuste ablatorum percipientes, teneantur. Statuimus insuper quod dantes & recipientes ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, etiamsi pontificali aut cardinalatus præfulgeant dignitate.

X X I.

Quamuis Iudæi, qui sanguinis Christi vindictam in se receperunt, vbi seruire Christianis, aut se laboribus nutrire parati sunt, benignitate ecclesiæ misericorditer tolerantur; ipsi tamen gratia sancta & tolerantia non contenti, orthodoxorum religionis Christianæ facultates vsuris exhauriunt, laqueos offensionis ingerunt, & petram scandali; in qua defensione & adiutorio aliquorum culpabilium laicorum detestabilius fouentur.

Hinc statuimus districtè præcipiendo, quod Iudæi in nostra diocesi non permittantur fenerari,

*Concil. Tom. 33.*

X X X X



nec vti famulis Christianis. Nullus quoque Christianus domos ad habitandum eisdem ad exercendum fenus locet, nec permittatur eis communio maxime ad frequentem visitationem Christianorum, præterquam in casibus præmissis, ne eorundem peccatis reuoluantur. In die pentecostes fenestræ & ostia clausa teneantur toto die. In diebus autem lamentationis & dominicæ passionis in publicum minime prodeant: cum salutaris hostia ad infirmos deportatur, caueant omni diligentia, ne contra Christianam fidem, beatam virginē, vel sanctos alios, contumeliosa verba proferant, nec permittantur cum simplicibus disputare de fide; ne callidis sermonibus corda percutiant simplicium. Nullus cum eis edere præsumat, aut balnari, aut medicinas ab eis capere. Si quis vero Iudæorum in his culpabilis repertus fuerit, eidem communio Christianorum denegetur. Quod si quis Iudæorum mulierem cognouerit Christianam, pro tanto facinore viginti libras denariorum vsualis monetæ domino loci, in quo scelus hoc perpetratum fuerit, irremissibiliter soluere teneatur. Ad hoc per captionem rerum & personæ, nec non aliis opportunis remediis compellendus. Idem, si Christianus quod detestabilius est, propter periculum partus, cognouerit Iudæam. Et si Iudæus satisfacere pœna pecuniaria nequierit, carcerali custodiæ mancipetur afficiendus, donec scandalum sopiatur. Christianus quoque ad Iudæam accedens \* vltimam dictam multam, excommunicationis pœnam, absolutionis beneficium a nobis vel vicario nostro meruerit obtinere.